Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 211
Quelle:
Copyright:

gionum atque locorum de actibus apostolorum, quae in Codice nostro cohaerent, a *Martianaeo* penitus rejecta, a Viris eruditis *Bedae*, in cujus Operibus leguntur, tributa *Vallarsius* in *Appendicem T. cit.* p. 719. transtulit, iisque adjunxit ex Ms. suo *Significationem characterum hebraic.* et X. *Nomina Dei*, quae in nostro quoque subnexa sunt. Prior nobis inscribitur: *Secundum esdram ueri caracteres hebreorum Nomina et interpretaciones eorum.* Initium: *Aleph mille uel doctrina* &c. Ad calcem: *In hoc alfabeto dupliciter habentur g. b. y. n. quia principia media et ultima uerborum aliter scribuntur.* Ante Nomina Dei vero haec leguntur: *De epistola cuiusdam symeonis in qua ait de decem nominibus quibus uocatur nomen domini.*

V. *fol.* 173. p. 2. Sequitur *Eucherii Lugd. Ep. Liber Formularum spiritualis intelligentiae*, sive Expositio Allegoriarum in sacris Literis. Initium: *Incipit epistola eucherij episcopi ad veranum episcopum. Eucherius lugdunensis episcopus verano pontifici salutem. fformulas spiritalis intelligencie latinorum nominum componendas* &c. Exemplar nihilo perfectius illo, quod alibi indicamus, ubi et de Opusculi editionibus agimus.

VI. *fol.* 198. p. 2. *Incipit prologus in librum beati ysidori episcopi de vita uel obitu sanctorum qui in domino precesserunt. Quorundam sanctorum nobilissimorumque virorum ortus vel gesta cum genealogijs suis* &c. Opusculi ipsius, quod etiam alibi occurrit, haec est miniata inscriptio: *Incipit liber ortus et vite uel obitus sanctorum patrum qui in scripturarum laudibus efferuntur.* Extat in *Jac. du Breul* editione *Opp. Isidori Paris.* 1601. p. 521. non sine lectionis differentia; ita, dum haec ait, Petrum sepultum Romae *tertio lapide ab urbe ad orientalem plagam*, noster illum condit *vno ab urbe miliario ab occidentali plaga.*

VII. *fol.* 206. p. 2. Ejusdem *Isidori* Ep. Hispalensis *Allegoriae* quaedam s. Scripturae, quas antecedit Epistola ad *Orosium: Domno sancto ac reuerentissimo fratri horosio ysidorus. Quedam nominatissima nomina legis et euangeliorum* &c. Titulus libelli miniatus: *Incipit desloracio beati ysidori in nominatissimis nominibus legis et euangeliorum.* Initium: *Adam figuram christi gestauit* &c. Habetur et alibi cum superiore Opusculo, ut hic, conjunctum et in *edit. Breuliana* p. 515. Calci adjecta nobis est brevis *institutio de Jejuniis* ecclesiasticis sub rubro: *Sequitur de quatuor temporibus*, ex *Off. eccl. Isidori*, ut videtur, depromta.

VIII. *fol.* 214. p. 2. *Hieronymi Quaestiones Hebraicae in Genesin* praemissa hac rubrica: *Nota quod sequens liber determinat multa que in libro interpretacionis hebraicorum nominum Item similiter in libro locorum non plene sunt recitata.* Inscriptio *Prologi* miniata et initium: *Incipit prologus Soffronij Eusebij Jeronimi In libris*